



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Novissima Polyantha, In Libros XX. Dispertita**

**Dominicus**

**Francofurti, 1613**

Euangelium

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97211](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97211)



Eucharistia.

DEFINITIO. ET ETYMOL.

Eucharistia, Græca dictio est, εὐχαριστία, quæ in nouo Testamento passim occurrit, & gratiarum actionem significat, teste veteris editionis latinæ authore. Sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, Eucharistie sacramentum dictum est, nempe quod in sacra mensa solemnes gratiarum actiones Deo patri reddantur à piis communicantibus pro redemptione æterna per Christi obedientiam usque ad mortem acquisita.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Eucharistia sacramentum præfiguratum.

Renēs vestros accingetis, & calciamenta habebitis in pedibus vestris, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes (agnum) est enim Phale, id est, transitus Domini. Exodi 12.

Pro quibus angelorum esca nutriti populum tuum, paratum panem de caelo præstitisti illis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantiam enim tuam, dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas, & desideriens vniuersiuique voluntati, ad quod quilibet volebat conuertebatur. Sap. 16.

Manna tuum non prohibuisti ab ore eorum. Nehem. 9.

Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eandem potum spirituales biberunt. (Biberunt autem de spiritu, h, consequente eos petra: petra autem erat Christus.) 1. Cor. 10.

A Domino vultus discipulis suis ministratum.

Vespere facta discubuit, & duodecim cum eo: cenantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Ego enim accepi à Domino, quod tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam conauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. 1. Cor. 11.

A nobis reuerenter sumendum ob ipsius sublimitatem.

Vnde præfiguratur in agno paschali.

Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas. Exodi 12.

Anima polluta, quæ ederet de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populo. Leui. 7.

Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ secreta sunt, & quæ obtulerint filii Israël Domino, in quo est imunditia, peribit coram Domino. 22.

Leprosus aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his, quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur. ibidem.

Cum lauerit carnem suam aqua, & occuberit sol, tunc mundatus vescetur sanctificatis, quia cibus illius est. Et infra.

Omnis alienigena non comedet de sanctificatis, inquilinus sacerdotis & mercenarius non vescetur ex iis. ibidem.

PATRYM SENTENTIAE.

Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuiimus, sed panem sanctum sincera fide frangimus & distribuimus, dum quod diuinum & quid humanum est distinguimus & separamus, itemque separamus simul iungentes vnum Deum & hominem facturum. Cyr. de Cena Domini.

Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo, omnibus tamen dominicis diebus iuado, & hortor, si tamen mens sine voluntate peccandi sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi grauius magis dico eucharistiæ perceptione, quam purgari: & ideo quamuis peccato quis moderatur, peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, communicatus satisfaciatur lacrymis & orationibus, confidens de Domini miseratione qui confessione peccati peccata donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus: sed hoc de illo, quem capitalia & mortalia peccata non grauant. Nam quem peccata vel crimina post baptismum grauant, hortor prius publica penitentia satisfacere, & ita sacerdotis iudicio reconciliatum communicatione sociare, si vult non ad iudicium, seu ad condemnationem sui eucharistiam percipere, sed & secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus. Aug. in l. de Eccl. dog.

Accepe quotidie, quod quotidie tibi proficit, sic viue, vt quotidie merearis accipere: qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Aug. tractatus illud Matth. 6. Van. Sc.

